

timoris sui tua nos dirigat, ut post vitae huius amaritudinem ad fraternalm simul pervenire dulcedinem mereamur.

Scriptum per manum Theodori, notarii et scrinarii sancte romane ecclesie, in mense martio, indictione quindecima.

Bene vale.

Data kalendis aprilis per manum Tiberii, primicerii sanctae sedis apostolicae, imperante domino piissimo perpetuo augusto Hlotario, a deo coronato, magno imperatore, anno tricesimo quinto imperii et pacis eius, sed et Hludovico novo imperatore eius filio, anno secundo, ind. XV.

60. — 853, febbraio. *Testamento di Orso, vescovo di Olivolo.*

FONTI: Museo civico di Padova, arch. demanio, rubr. diplomatica, fasc. B, n. 28 (copia del sec. X); Arch. Stato, Venezia, S. Lorenzo, catastico (sec. XIV).

EDIZ.: Gloria, *Cod. diplomatico padovano* cit., I, 22 sgg., n. 11.

In nomine domini Dei salvatoris nostri Ihesu Christi. Imperante domino nostro piissimo perpetuo augusto Michaelio, a Deo coronato, pacifico, magno imperatore, anno autem imperii eius tercio decimo, mense februariarum, indictione prima. Divine inspiracionis et provide mentis arbitrii, quatinus ut ita quis suum debeat hordinare iudicium, ut post facta, omni errore remoto, eius semper tamquam vivens clareat et servetur voluntas. Quapropter ideo ego quidem Ursus, sancte Olivolensis ecclesie episcopus, dum in senectute devenisset, ambulans tamen ac rediens, mente vero sana et integra possidens atque consilio considerans humane fragilitatis impulsus, hunc meum testamentum hac iudicium condidi signari Constantino diacono, scriba servienti nostro, et manu mea propria super firmavi et testes a me rogitos obtuli numero compitentes subscribendum et signum sancte crucis faciendum. Quod obsecrante clemencia Dei et divina gratia preveniente, si-
cut inspiratus sum et voluntas milhi aderevit prehordinata.